

Universitätsbibliothek Wuppertal

Renati Des-Cartes Principia Philosophiae

Descartes, René

Amstelodami, 1664

Vorwort des Autors

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1384](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1384)

AMICUS AUTHORIS

ad Lectorem.

Postquam hic liber ad me missus fuisset à Domino Cartesio, cum libertate eum typis mandandi, & ipsi addendi quam luberet Præfationem, mihi proposui, nullam aliam adjicere, quam easdem litteras quas antehac ad ipsum dedi; ut id ab ipso obtinerem, quia continent plurima, de quibus publicum præmoneri, illius interesse existimo.

EPISTOLA PRIMA

AD

D. C A R T E S I U M.



OMINE,

Mihi gratulabar, quod te viderem Lutetia superiori hac æstate, quia putabam, te eò venisse commorandi gratia, & quod, cum ibi facilius quam alibi posses ea consequi experimenta quibus testatus fueras te egere ad ultimam manum imponendam tractatibus quos promisisti publico, fidem datam liberaturus esses, nosque illos brevi visuros. Verum hanc mihi lætitiā ademisti cum reversus es in Hollandiam: Nec possum quin tibi dicam, me adhuc tibi iratum esse, eo quod nolueris ante discessum tuum mihi copiam facere tractatus de Passionibus, quem à te compositum audiavi. Adde, quod, animum reflectendo ad verba quæ legi in Præfatione quæ junctæ fuerat ante biennium versionis Gallicæ Principiorum tuorum, quibus postquam succinctè loquutus fueras de partibus Philosophiæ quæ adhuc reperiri debent, antequam præcipui ejus fructus colligi possint; & dixeras, te non adeo viribus tuis diffidere ut non ausis suscipere explicationem cunctarum, si commoditatem haberes experimenta faciendi, quæ requiruntur ad comprobandas tuas ratiocinationes: addis, ad id opus esse maximis sumptibus, quibus privatus, ut tu, par esse